

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1684

**Auteur(s) :** Jean de Gaillon [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1219, juin

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord et transaction entre Jean de Gaillon, seigneur de Grosley, et les religieux, au sujet des produits des bois du Val Menier et du Pin, du moulin et du droit de pêche concédés par Simon de Grosley.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 207-208 (extrait).
- b. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° XXVI, p. 30-31.

Texte établi d'après b

Universis ad quos presens scriptum pervenerit, Johannes de Gaillon, miles, salutem in Domino. Noveritis quod contentio mota esset inter me, ex una parte, et religiosos viros priorem et conventum Sancte Trinitatis de Bellomonte Rogeri, exaltera, super decimis fructuum et proventuum nemoris mei de Walle Menerii et super decimis fructuum et proventuum nemorum meorum de Grolaio et de Pinu, et super decimis fructuum et proventuum tocus feodi mei de Walle Menerii predicta. Item super decimis fructuum et proventuum pasturagiorum meorum de Pinu. Item super decimis fructuum et proventuum molendini mei de Grolaio. Item super eo quod dicti religiosi dicebant se habere libertatem piscandi cum omnimoda forma ingeniorum per unum diem et unam noctem, semel in anno, in aqua mea de Grolaio, videlicet quoniam faciunt anniversarium Symonis de Grolaio, que omnia permissa dicti religiosi petebant a me. Nos predictas partes, de bonorum virorum consilio, pacificavimus seu transegimus sub forma que sequitur, videlicet quod omnia premissa michi et heredibus meis libere, pacifice et integre, et sine qualibet contradictione dictorum religiosorum remanebunt per XXV solidos turonenses, annui redditus, quos dicti religiosi et eorum successores annuatim percipient et habebunt ad festum Sancti Michaelis in censibus mei de Grolaio, per manum meum seu heredum meorum, vel prepositi nostri, qui ibi pro tempore erit ; tali conditione apposita, quod pro unaquaque septimana in qua ego predictus Johannes vel heredes mei, seu mandatum nostrum fuerimus in mora solvendi dictos XXV solidos turonenses, nomine pene solvere tenebimur V solidos. Preterea sciendum est quod si nemus meum de Walle Menerii et pasturagia mea de Pinu redigerentur ad agriculturam, dicti religiosi decimas novalium sine contradictione mei, vel heredum meorum, seu quarumcunque personarum a me causam trahencium vel habencium, ibi percipient et habebunt. In cuius rei testimonio, presens scriptum sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M° CC° X°, nono, mense junii.